

De defectibus, qui in syllogismis accidere possunt.

Hactenus egimus de compositione, & constructione syllogismorum: modo restat: ut agamus de eorum defectibus: ut possimus vitare, quod vitiosum est: pro quo sunt nonnullae regulae obseruandae, omnibus syllogismis conuenientes.

Regula pro syllogismis I. Reg.

Prima est: expuris negatiuis nihil sequitur: unde necessario aliqua ex praemissis debet esse affirmatiua, vel formaliter, vel virtualiter: quia sufficit: ut affirmatiua equipolleat. Vnde hic syllogismus nihil valet: nullus homo est lapis: nullus asinus est homo: ergo nullus asinus est lapis.

2. Regula.

Secunda regula: omnes praemissae in qua cuiusque figura non debent esse particulares: quia expuris particularibus nihil sequitur: unde hic syllogismus est reiciendus: quod ego sum; tu non es: sed ego sum homo: ergo tu non es homo: & hoc debet intelligi: quando medium est terminus communis: nam si fuerit singularis: erit syllogismus Expositorius: de quo statim videbimus.

3. Regula.

Tertia regula: si aliqua ex praemissis fuerit negatiua: conclusio debet esse negatiua: & si aliqua ex praemissis fuerit particularis: conclusio debet esse particularis: quia conclusio debiliorem partem sequitur.

4. Regula.

Quarta regula: medium nunquam debet poni per se in conclusione: nullus etiam terminus debet distribui in conclusione, qui non sit distributus in praemissis: alia argumentatio esset a no distributo ad distributum: quod est maximum vitium: ratione cuius, hic syllogismus nihil valet: omne animal est substantia: nulla arbor est animal: ergo nulla arbor est substantia. Similiter medium debet saltem in aliqua praemissa distribui: id est accipi vniuersaliter pro omnire, pro qua accipi potest. Ac tandem omnes proprietates logicales: ut eadem appellatio, ampliatio, restrictio, &c. obseruari debent.

Pro prima figura.

Aliae regulae sunt cuiusque figurae speciales: pro prima figura: quod maior syllogismi no fit particularis: aliter enim nihil sequitur: nec similiter minor debet esse negatiua: quia tunc argumentaremur a non distributo ad distributum ex parte maioris extremitatis: ut in hoc syllogismo: omnis homo est animal: nullus equus est homo: ergo nullus equus est animal. Hoc autem debet intelligi in modis directe concludentibus: nam in indirectis, bene potest esse minor negatiua: ut patet in Epesino: & maior particularis & minor etiam negatiua: ut patet in Erisoforum.

Pro secunda figura.

Pro secunda figura: maiori existente particulari in secunda figura, nihil sequitur: unde hic syllogismus nihil valet: aliqua virtus est laudanda: nullum vitium est laudandum: ergo aliquod vitium non est virtus. Ratio est: quia argumentamur a no distributo ad distributum ex parte maioris extremitatis. Similiter si vtraque praemissa sit affirmatiua, in secunda figura, nihil sequitur:

unde hic syllogismus nihil valet: omnis homo est animal: omnis equus est animal: ergo aliquis equus est homo. Ratio est: quia medium in nulla praemissarum distribuitur.

Pro tertia figura.

Pro tertia figura: minor non debet esse negatiua: nec conclusio debet esse vniuersalis: unde nihil valet hi syllogismi: omnis homo est animal: nullus homo est equus: ergo nullus equus est animal. Omnis homo est risibilis: omnis homo est animal: ergo omne animal est risibile.

De modo inueniendi medium.

De arte inueniendi medium agit Aristoteles in fine libri primi Priorum, quam ipse, & veteres, ita difficulter tractauerunt: ut Sophista, ob eius difficultatem, eam Asinorum pontem appellauerint: eo quod Tyrones illam percipere non valentes ab incepto dialecticae tramite retrocedebant. Sed, ut huc pontem effugias: dupliciter eum tibi proponemus.

Et pro primo modo est aduertendum: quod qui cumque terminus, respectu alterius, quadrupliciter se habere debet: primo ut inferat alium: sed non inferatur ab illo: & talis terminus est minus communis, respectu magis communis: & dicitur antecedens: ut homo respectu animalis: quia, homine posito in antecedente, inferatur animal in consequente: ut est homo: ergo animal.

Secundo terminus potest se habere: ita ut inferatur: sed non inferat: & talis est magis communis, respectu minus communis: ut animal respectu hominis: & dicitur consequens.

Tertio possunt se habere termini: ita ut adiuicem inferant: & inferantur: & tales sunt termini conuertibiles, & aequales: ut homo, & risibile: rationale, & risibile.

Quarto possunt se habere termini: ita ut vnus alteri repugnet: & isti vocantur extranei, seu disparati.

Insuper est aduertendum: quod propositiones, quae possunt inferri, ad quas concludendas est necessarium medium, sunt in quadruplici differentia: prima est vniuersalis affirmatiua: secunda vniuersalis negatiua: tertia particularis affirmatiua: & quarta particularis negatiua.

His positis: si vis vniuersalem affirmatiuam concludere, & probare, v. g. istam: omnis equus est viuens: debes assumere, pro medio terminu, qui inferatur ex subiecto tali propositionis: scilicet, ex equo: & qui inferat praedicatum nempe, viuens: & talis terminus est, animal, quod est superius ad equum: & ex equo inferitur: & est inferius ad viuens: & tunc sic construes syllogismum in Barbara: omne animal est viuens: omnis equus est animal: ergo omnis equus est viuens.

Secunda regula: ut inferatur vniuersalis negatiua, v. g. nullus homo est equus: debemus assumere pro medio terminum, qui sit superior, vel saltem aequalis ad hominem, qui est subiectum talis propositionis: & qui sit extraneus equo, qui est praedicatum: & talis est distinctio hominis, quae conuertitur.

1. Modus dicendi.

1. Nota.

2. Nota.

1. Regula.

2. Regula.

De reductione syllogismorum offensiu.

conuertitur cum homine: & extraneatur equo: & tunc sic coniciatur syllogismus in Celare: nullum animal rationale est equus: omnis homo est animal rationale: ergo nullus homo est equus.

3. Regula.

Tertia regula: ad inferendam particularem affirmatiuam: verbi gratia, istam: aliquis leo est viuens: debet sumi pro medio terminus, qui inferat vtrumque: subiectum, scilicet, & praedicatum: qui est, rugibile: qui quidem est inferius ad viuens: & illud inferit: & aequalis ad leonem: & etiam illum inferit: & sic coniciatur syllogismus in Darij: omne rugibile est viuens: aliquis leo est rugibilis: ergo aliquis leo est viuens.

Nota.

Nota tamen: quod haec regula non debet intelligi in Baralipron: & Dabius prima figura: & in Datis tertiae, in quibus accipitur pro medio terminus, qui est inferior ad subiectum, & superior ad praedicatum: verbi gratia, si inferatur haec propositio: aliqua substantia est homo: sumitur pro medio animal: quod est inferius ad substantiam: & superius ad hominem: & fit syllogismus in Baralipron sic: omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo aliqua substantia est homo.

4. Regula.

Quarta regula: ut inferatur particularis negatiua: verbi gratia, aliquid animal non est homo: debet sumi pro medio terminus, qui sit inferior ad animal, quod est subiectum, & extraneus homini, qui est praedicatum: vel e contra: qui sit inferior praedicato, & extraneus subiecto: qui quidem terminus potest esse equus, qui est inferior ad animal, & extraneus homini: & sic fiat syllogismus in Ferio: nullus equus est homo: aliquid animal est equus: ergo aliquid animal non est homo. Et haec pro primo modo sufficiant.

Secundus modus dicendi.

Pro secundo modo, qui breuior: & facilior est: hanc regulam tenebis: quae re causam: & inuenisti medium: quam sic intelliges. Si affirmatiue concludere volueris aliquid praedicatum conuenire subiecto: inquire rationem, & causam, propter quam illi conueniat: si vero per oppositum volueris concludere negatiue, aliquid praedicatum non conuenire subiecto: rationem inquire, propter quam illi non conueniat. Hanc autem rationem dupliciter indagare poteris: aut per causam, quae dicitur ratio a priori: vel per effectum, quae dicitur a posteriori: ut si ad probandum hominem esse risibilem, velis inuenire medium: inquire causam risibilitatis: quae est, esse rationale: & illam constitues medium, coniungendo in maiori cum risibili: & in minori cum homine: & sic construes syllogismum: rationale est risibile: homo est rationalis: ergo homo est risibilis.

Ab effectu autem sumitur medium: quando probatur causa per suum effectum: ut si velis probare ferrum habere calorem: fumes pro medio effectum caloris: nempe, calefacere: & sic conicies syllogismum: omne, quod calefacit, habet calorem: sed hoc ferrum calefacit: ergo ferrum habet calorem: & haec de asinorum ponte explicata sint satis.

Prius quam de syllogismo Expositorio, & de alijs speciebus argumentationis agamus: operae pretium erit de reductione syllogismorum agere: unde in hoc capite de reductione ostensiu: & in sequente, de reductione per impossibile, seu ad impossibile, agemus.

Nota.

Pro quo est aduertendum: omnes modos in capitulo tertio enumeratos, praeter quatuor primos prima figura: reduci posse ad aliquem modum perfectum: id est: ad aliquem illorum quatuor: ideo namque illi quatuor perfecti dicuntur: quia, ut necessario concludentes appareant: nulla reductione indigent: & ceteri dicuntur imperfecti: quia indigent reductione ad illos: & isti sunt non solum quinque prima figura, qui indirecte concludunt: sed etiam ceteri secunda, & tertia figura: etiam si directe concludant: omnis enim syllogismus indirecte concludens est imperfectus: sed non e contra: cum praedicti sint imperfecti, sed non indirecti. Vnde reducere syllogismum est bonitatem syllogismi imperfecti ostendere per alium modum perfectum: quae reductio fit, aut per medium conuersionis: aut transpositionis praemissarum: aut vtriusque simul: haec enim vocatur instrumenta reductionis ostensiu: nam interdum sola conuersione opus est: interdum vero non sufficit nisi fiat praemissarum transpositio: & interdum quidem solum vna praemissarum: aut sola conclusio debet conuerti: interdum plures: ac rursum: interdum conuersione simplici: interdum conuersione per accidens vtendum est. Fundaturque ista reductio in illa maxima per se nota: quidquid sequitur ad consequens bonae consequentiae, sequitur ad eius antecedens. Vnde cum praemissae modi perfecti inferant necessario suam conclusionem: & praemissae modi imperfecti inferant per reductionem praemissas modi perfecti, ad quem reductur: inde fit: ut inferant necessario eandem conclusionem. De quibus statim exempla adducemus.

Nota.

In super est aduertendum: quod praeter quatuor vocales, A. E. I. O. quae in quolibet modo reperuntur: ut supra cap. 3. diximus: in quolibet etiam inueniuntur consonantes certam significationem habentes: nempe, S. P. M. C. vbi quae enim ponitur, S. denotat in reductione propositionem illam, quae per vocalem immediate praecedentem significatur, debere conuerti simpliciter. Vbi ponitur, P. propositio per vocalem immediate praecedentem significata conuertitur per accidens. Vbi, M. praemissae transponuntur. Vbi tandem, C. in medio dictionis collocatur, denotat modum illum non conuerti ostensiu: sed tantum per impossibile: ut in Baroco, & Bocardo. Porro litterae initiales omnium modorum indicant ad quem perfectorum modorum singuli imperfecti reduci debeant. Vniuersaliter enim modum per



ti incipientes à B. debent reduci ad Barbara: à C. ad Celarem: à D. ad Darij: ab F. ad Ferio: alia autem consonantes non habent in proposito aptam significationem.

Baralipton ad Barbara

His positis, expedit: ut exemplis re manifestemus: Baralipton reducitur ad Barbara conclusionem solam conuertendo per accidens: quod indicat littera P. in tertia syllaba posita post I. v. g. omnis homo est substantia: omne discursiuum est homo: ergo aliqua substantia est discursiuum: hæc conclusio sic conuertitur: omne discursiuum est substantia: quæ est conuersio per accidens: qua posita, ponitur conclusio in Barbara.

Celantes ad Celarem.

Celantes ad celarem reducitur per solam conuersionem conclusionis simpliciter: quod indicatur per litteram, S. in tertia syllaba positam: sic: nullus homo est lapis: omne animal est homo: ergo nullus lapis est animal: hæc conclusio sic conuertitur: ergo nullum animal est lapis: & est conclusio in celarem.

Dabitur ad Darij.

Dabitur reducitur ad Darij per conuersionem simpliciter: sic: omne admiratiuum est flebile: aliquis homo est admiratiuus: ergo aliquod flebile est homo: sic conuertitur: ergo aliquis homo est flebilis: ecce conclusio in Darij.

Fapesmo ad Ferio.

Fapesmo reducitur ad Ferio, per conuersionem maioris per accidens: quod denotat, P. positiuum post primam vocalem: & per conuersionem minoris simpliciter: quod in dicat littera, S. post secundam vocalem, I. & per præmissarum transpositionem: quod denotat, M. sic, omnis homo est substantia: nullus lapis est homo: ergo aliqua substantia non est lapis: conuertitur: nullus homo est lapis: aliqua substantia est homo: ergo aliqua substantia non est lapis. Ecce ex minori in Fapesmo conuersa simpliciter, & ex maiori conuersa per accidens, media illarum transpositione fiunt præmissæ in ferio, ex quibus conclusio illata in Fapesmo vera probatur.

Frisefomorum ad Ferio.

Frisefomorum etiam reducitur ad Ferio per utriusque præmissæ conuersionem simpliciter, & præmissarum transpositionem: ut ex duplici, SS. & ex littera, M. constat: v. g. aliquis homo est substantia: nullus equus est homo: ergo aliqua substantia non est equus: sic reducitur: nullus homo est equus: aliqua substantia est homo: ergo aliqua substantia non est equus. Ecce conclusionem in Frisefomorum factam in Ferio per conuersionem, & transpositionem præmissarum.

Cesare ad Celarem.

Cesare, primus modus secundæ figuræ, reducitur ad Celarem, maiori tantum conuersa simpliciter: ut nullus coruus est albus: omnis cygnus est albus: ergo nullus cygnus est coruus: sic reducitur: nullum album est coruus: qua maiori conuersa, & addita minori de Cesare; inferuntur conclusio in Celarem: ut patet.

Camestres ad Celarem.

Camestres item reducitur ad Celarem; minore, & conclusione conuersa simpliciter; ac in super præmissis transpositis, verbi gratia, omnis cygnus est albus: nullus coruus est albus: ergo nullus coruus est cygnus: sic reducitur: nullum album est coruus: omnis cygnus est albus, ergo nullus cygnus est coruus. Ecce ex minore, & conclusione in Camestres conuersa simpliciter: &

præmissis transmutatis, sequitur conclusio in Celarem.

Festino ad Ferio reducitur per conuersionem maioris tantum simpliciter: v. g. nullus lapis est animal: aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis: sic reducitur: nullum animal est lapis: aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis.

Festino ad Ferio.

Baroco, & Bocardo, non reducuntur ostensue ad aliquem modorum perfectorum: sed tantum per impossibile: de Baroco patet: quoniam ad mutandum figuram oporteret ad minus alteram præmissarum conuerti in reductione: neutrius tamen conuersio est reductioni commodat quoniam maior: cum sit vniuersalis affirmatiua: non conuertitur: nisi per accidens, in particularem affirmatiuam: cum ergo minor sit etiam particularis: ambæ præmissæ erunt particulares, ex quibus nihil sequitur. Item & maiore particulari posita in prima figura, non valet syllogismus. Per conuersionem etiam minoris, nihil potest fieri: quoniam particularis negatiua non conuertitur, nisi per contrapositionem: quæ conuersio reductioni syllogismorum non deseruit: eo quod mutet terminos: in reductione autem termini debent esse iidem in syllogismo, qui reducitur, & in eo, ad quem fit reductio: nullo igitur modo Baroco potest ostensue reduci. Similiter nec Bocardo: non enim per conuersionem maioris, quæ est particularis negatiua, & conuerti non potest: nec per conuersionem minoris, quæ tantum in particularem affirmatiuam vertitur: & ex particularibus puris nihil sequitur. Quare isti duo modi tantum per impossibile reducuntur: ut capite sequente dicemus.

Baroco, & Bocardo, non reducuntur ostensue.

Darapti reducitur ad Darij conuertendo minorem per accidens: verbi gratia, omnis homo est animal: omnis homo est risibile: ergo aliquod risibile est animal: sic reducitur: omnis homo est animal: aliquod risibile est homo: ergo aliquod risibile est animal. Ecce minorem conuersam per accidens in Darapti: ex qua fit syllogismus in Darij.

Darapti ad Darij.

Felapton reducitur ad Ferio, minorem per accidens conuertendo: verbi gratia, nullus homo est lapis: omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale non est lapis: sic reducitur: nullus homo est lapis: aliquod rationale est homo: ergo aliquod rationale non est lapis.

Felapton ad Ferio.

Disamis reducitur ad Darij per conuersionem maioris, & conclusionis simpliciter: & præmissarum transpositionem: verbi gratia, aliquis homo est risibilis: omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale est risibile: sic reducitur: omnis homo est rationalis: aliquod risibile est homo: ergo aliquod risibile est rationale.

Disamis ad Darij.

Datisi etiam ad Darij reducitur per conuersionem tantum minoris simpliciter: verbi gratia, omnis virtus est laudanda: aliqua virtus est temperantia: ergo aliqua temperantia est laudanda. Sic reducitur: omnis virtus est laudanda: aliqua temperantia est virtus: ergo

Datisi, ad Darij.

go aliqua temperantia est laudanda.

Ferison, ad Ferio.

Tandem Ferison reducitur ad Ferio per conuersionem minoris simpliciter: verbi gratia, nullus lapis est sensibilis: aliquis lapis est substantia: ergo aliqua substantia non est sensibilis: sic reducitur: nullus lapis est sensibilis: aliqua substantia est lapis: ergo aliqua substantia non est sensibilis.

Ecce reductionem ostensiuam omnium modorum imperfectorum (præter Baroco, & Bocardo) ad quatuor perfectos primæ figuræ, fundatam in maxima: quidquid sequitur ad consequens bonæ consequentiæ, sequitur ad eius antecedens: secundum quam sic te habebis: si quis forte negat, esse bonum, aduersus illum sic arguetur: præmissæ in Cesare dispositæ, per bonam consequentiam, inferunt præmissas de Celarem: sunt enim eadem; nisi quod maior est conuersa simpliciter: & conuersa, in bonâ consequentiâ, inferunt præmissas in Celarem: ergo secundum maximam, quidquid sequitur ad præmissas in Celarem, idem sequitur ad præmissas in Cesare: sed ad præmissas in Celarem sequitur conclusio in Celarem: quod negari non potest: cum sit modus perfectus: & hæc est eadem conclusio cum illa in Cesare: ergo si ex præmissis in Celarem illa conclusio sequitur: eadem quoque sequitur ex præmissis in Cesare: cum sint idem antecedens.

Nota.

Nota tamen: quod licet Darij, & Ferio, ostensue non reducuntur, & sint perfecti, respectu reductionis imperfecti ad perfectum: nihilominus adhuc Darij potest ad Barbara, & Ferio ad Celarem reduci: tanquam particulares ad syllogismos vniuersales, nam illi in virtute istorum concludunt: propositio enim particularis est vera in virtute suæ vniuersalis. Imo & Celarem aliquo modo potest dici ad Barbara reduci: nam omnis negatio per suam affirmationem regulatur: & sic syllogismus negatiuus primus per primum affirmatiuum mensuratur: vnde Barbara est syllogismus immensurabilis, & irregularis, & inter omnes perfectissimus: & sic inter omnes obiecti principalitatis rationem sibi vendicat: ut super 3. q. vniuers. art. 1. dicemus.

C A P V T. VII.

De reductione syllogismorum ad impossibile.

Alius est modus reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos, qui appellatur reductio per impossibile, vel ad impossibile: quæ quidem reductione cogitur respondens fateri: vel consequentiam quæ negabit, esse bonam: vel esse falsam aliquam ex præmissis, quam iam concesserat: vel duas contradictorias, seu contrarias, esse simul veras; quod est impossibile: & iste modus non vtitur prædictis instrumentis, quibus præcedens: scilicet conuersione, aut præmissarum transpositione: sed assumpto contradictorio conclusionis syllogismi imperfecti, quam aduersarius negat, & disposito cū altera præmissarum eiusdem syllogismi, quæ concessit, secundum aliquem modum perfectum primæ figuræ, inferuntur contradictorium, seu contrarium, alterius præmissæ relicte, & concessæ: sicque respondens ad impossibile deducitur: mirum ad concedendum contradictoria, vel contraria, esse simul veras: vel cogitur fateri conclusionem negatam esse bonam: v. g. negat quis hæc consequentiam in Baroco: omnis homo est animal: aliqua arbor non est animal: igitur aliqua arbor non est homo: qua negata: sic insurgens: ergo eius contradictoria: nempe, omnis arbor est homo: est vera: tunc sic, assumpta maiori de Baroco: omnis homo est animal: omnis arbor est homo: inferuntur: ergo omnis arbor est animal: & hæc conclusio est contradictoria minoris de Baroco iam concessæ: scilicet, aliqua arbor non est animal: ergo concedis duo contradictoria simul vera: quod est impossibile: vel debes concedere consequentiam in Baroco factam esse bonam.

sumpto contradictorio conclusionis syllogismi imperfecti, quam aduersarius negat, & disposito cū altera præmissarum eiusdem syllogismi, quæ concessit, secundum aliquem modum perfectum primæ figuræ, inferuntur contradictorium, seu contrarium, alterius præmissæ relicte, & concessæ: sicque respondens ad impossibile deducitur: mirum ad concedendum contradictoria, vel contraria, esse simul veras: vel cogitur fateri conclusionem negatam esse bonam: v. g. negat quis hæc consequentiam in Baroco: omnis homo est animal: aliqua arbor non est animal: igitur aliqua arbor non est homo: qua negata: sic insurgens: ergo eius contradictoria: nempe, omnis arbor est homo: est vera: tunc sic, assumpta maiori de Baroco: omnis homo est animal: omnis arbor est homo: inferuntur: ergo omnis arbor est animal: & hæc conclusio est contradictoria minoris de Baroco iam concessæ: scilicet, aliqua arbor non est animal: ergo concedis duo contradictoria simul vera: quod est impossibile: vel debes concedere consequentiam in Baroco factam esse bonam.

Pro intelligentia tamen reductionis omnium modorum imperfectorum ad quatuor perfectos per impossibile, est primo aduertendum: quod pro figurarum diuersitate, aliter, & aliter debet disponi contradictorium conclusionis negatæ: in modis enim imperfectis primæ figuræ, contradictorium conclusionis negatæ sumitur pro maiori: illa autem, quæ erat maior, assumenda est pro minori: & tunc inferuntur: licet non immediate; oppositum minoris relicte: illius enim præmissæ oppositum debet concludi, quæ non assumitur in syllogismo, per quem fit reductio: Ab hac tamen regula excipitur Celantes, pro quo reducendo, contradictorium conclusionis sumitur pro minore: pro maiore autem ponitur illa, quæ erat minor: ut statim patebit.

Pro modis vero secundæ figuræ, contradictoria conclusionis ponenda est etiam pro minore: & maior est eadē seruanda. Vnde in secundæ figuræ inferuntur semper oppositum minoris syllogismi reducendi.

In tertia denique figuræ contradictoria conclusionis constituenda est pro maiore: & minor syllogismi reducendi seruatur eadem: vnde in hac figuræ inferuntur oppositum maioris relicte: licet in Darapti, & Felapton, contrarium inferatur. Vnde pro secundæ, & tertiæ figuræ, hi statuantur versus.

Seruat maiorem; variatque secunda minorem.

Tertia maiorem variat; seruatque minorem.

Secundo est aduertendum: quod ad cognoscendum modum, quo modi imperfecti ad perfectos reducuntur: & quod cuiuslibet adaptentur: hæc dictiones adiuuentur sunt: Nesciebam: is: odiebam: letare Romanis: in quibus istæ vocales reperiuntur: A. E. I. O. per A. denotatur conclusio vniuersalis affirmatiua: & quod modus sibi correspondens debet reduci ad Barbara, qui conclusionem vniuersalem affirmatiuam habet. Per E. significatur conclusio

Nota.

Regula pro modis primæ figuræ.

Regula pro modis secundæ figuræ.

Regula pro modis tertiæ figuræ.

Versus.

Nota.



conclusio vniuersalis negatiua, quæ reperitur in celarem: sic modus, cui correspondet E, reducitur ad celare. Per, ex primitur conclusio particularis affirmatiua reperta, in Darij & per: O, conclusio particularis negatiua reperta in ferio: & ita modi istis correspondentes ad Darij, & ferio reducuntur. Prima igitur dictio habens quinque vocales ponitur pro quinque modis primæ figuræ: Secunda habens quatuor, pro quatuor secundæ figuræ: Tertia vero: nepe letare Romanis; quæ habet sex ponitur pro sex modis tertiæ figuræ. Exemplum in nesciebatis: nes, correspondet Baralipson; denotatque ipsum reduci ad celare, qui habet conclusionem vniuersalem negatiuam. Ci, correspondet celantes; denotatque ipsum reduci ad Darij, qui habet conclusionem particularem affirmatiuam. E, correspondet Dabitis; denotatque ipsum ad Celarem reduci, qui conclusionem negatiuam habet. ba, correspondet Fapesmo: significatque ipsum ad Barbara reduci, correspondet Frisefomorum: denotatque ipsum ad Darij reduci. Et quod de hac dictione, nesciebatis, respectu modorum primæ figuræ, diximus: sic, de odiebâ, respectu secundæ: & de letare Romanis respectu tertiæ est dicendum. Nota tamen: quod hæc reductio ad impossibile fundatur in illa maxima dialectica: in omni bona consequentia, oppositum consequentis infert oppositum antecedentis: vt, homo currit: ergo homo mouetur: sed nullus homo mouetur: ergo nullus homo currit.

His positis: si scire volueris ad quem modum perfectum, syllogismum imperfectum reducere debeas: considera eius conclusionem; & ipsius contradictoriam; qualis sit, & quanta: deinde contradictoriam compone cum maiore, aut minore, quæ pro ratione figuræ erit assumenda pro altera præmissa: & attende diligenter; vel iuxta vocales dictionum prædictarum: vel in quo modo perfecto primæ figuræ sint illæ præmissæ simul sumptæ dispositæ: & sic certissime colliges modum, ad quem syllogismus imperfectus reduci debet: sed, vt hoc melius percipias: exemplo reductionis omnium modorum, illud tibi explicamus.

Baralipson ad celare.

Baralipson reducitur ad celarem: verbi gratia omne discursuum est risibile: omnis homo est discursiuus: ergo aliquod risibile est homo: negas consequentiam: ergo eius contradictoria: scilicet, nullum risibile est homo: est vera: tunc sic iuxta regulam pro prima figura: nullum risibile est homo: omne discursuum est risibile: ergo nullum discursuum est homo: sed hæc conclusio si conuertatur sic: nullus homo est discursiuus: est contraria illius minoris concessæ: omnis homo est discursiuus: ergo duo contraria simul vera concedis: quod est impossibile.

Celantes ad Darij.

Celantes reducitur ad Darij: verbi gratia, nullum animal est lapis: omnis homo est animal: ergo nullus lapis est homo: negas conclusionem: ergo eius contradictoria: nempe, aliquis lapis est homo: est vera: tunc sic: omnis homo est animal: aliquis lapis est homo: ergo aliquis lapis est animal: sed hæc conclusio est contradi-

ctoria: si conuertatur: maioris concessæ: ergo duo contradictoria simul vera.

Dabitis reducitur ad celarem: verbi gratia, omne admiratiuum est flebile: aliquis homo est admiratiuum: ergo aliquod flebile est homo: negas: ergo eius contradictorium: nullum flebile est homo: est verum: tunc sic: nullum flebile est homo: omne admiratiuum est flebile: ergo nullum admiratiuum est homo: quæ conclusio: si conuertatur: est contradictoria minoris concessæ, & derelictæ.

Fapesmo reducitur ad Barbara: verbi gratia: omnis homo est substantia: nullus lapis est homo: ergo aliqua substantia non est lapis: negas: ergo omnis substantia est lapis: tunc sic: omnis substantia est lapis: omnis homo est substantia: ergo omnis homo est lapis: quæ conclusio, per conuersionem, opponitur contrarie minori concessæ.

Frisefomorum reducitur ad Darij: verbi gratia, aliquis homo est substantia: nullus equus est homo: ergo aliqua substantia non est equus: negas: ergo omnis substantia est equus: tunc sic: omnis substantia est equus: aliquis homo est substantia: ergo aliquis homo est equus: quæ conclusio conuersa est contradictoria minoris concessæ.

Celare primus modus secundæ figuræ: reducitur ad ferio: v.g. nullus coruus est albus: omnis cygnus est albus: ergo nullus cygnus est coruus: negas: ergo aliquis cygnus est coruus: tunc sic: nullus coruus est albus: aliquis cygnus est coruus: ergo aliquis cygnus non est albus: ecce conclusio nem, iuxta regulam pro secunda figura, contradictoriam minoris concessæ.

Camestres reducitur ad Darij: v.g. omnis cygnus est albus: nullus coruus est albus: ergo nullus coruus est cygnus: negas: ergo aliquis coruus est cygnus: tunc sic: omnis cygnus est albus: aliquis coruus est cygnus: ergo aliquis coruus est albus. Ecce contradictoriam veram minoris concessæ.

Festino reducitur ad Celarem: verbi gratia, nullus lapis est animal: aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis: negas: ergo omnis homo est lapis: tunc sic: nullus lapis est animal: omnis homo est lapis: ergo nullus animal: ecce contradictoriam minoris concessæ.

Darapti primus modus tertiæ figuræ: reducitur ad celarem: verbi gratia, omnis homo est animal: omnis homo est risibilis: ergo aliquod risibile est animal: negas: ergo nullum risibile est animal: tunc sic: nullum risibile est animal: omnis homo est risibilis: ergo nullus homo est animal: ecce contrariam veram maioris concessæ, & relictæ iuxta regulam tertiæ figuræ.

Felapton reducitur ad Barbara: verbi gratia: nullus homo est lapis: omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale non est lapis: negas: ergo omne rationale est lapis: tunc sic: omne rationale est lapis: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est lapis: ecce contrariam veram maioris concessæ.

Difamis ad celarem. Difamis reducitur ad celarem: verbi gratia aliquis homo est risibilis: omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale est risibile: negas: ergo nullum rationale est risibile: tunc sic: nullum rationale est risibile: omnis homo est rationalis: ergo nullus homo est risibilis: ecce contradictoriam veram maioris, quam concessisti.

Datifi ad ferio. Datifi reducitur ad ferio: verbi gratia; omnis virtus est laudanda: aliqua virtus est temperantia: ergo aliqua temperantia est laudanda: negas: ergo nulla temperantia est laudanda: tunc sic: nulla temperantia est laudanda: aliqua virtus est temperantia: ergo aliqua virtus non est laudanda. Ecce conclusionem contradictoriam maioris, quam antea concessisti.

Bocardo ad Barbara. Bocardo reducitur ad Barbara: verbi gratia, aliquis homo non est grammaticus: omnis homo est animal: ergo aliquod animal non est grammaticus: negas: ergo omne animal est grammaticum: tunc sic: omne animal est grammaticum: omnis homo est animal: ergo omnis homo est grammaticus. Ecce conclusionem veram contradictoriam maioris concessæ.

Ferison ad Darij. Ferison tandem ad Darij reducitur: verbi gratia, nullus lapis est sensibilis: aliquis lapis est substantia: ergo aliqua substantia non est sensibilis: negas: ergo omnis substantia est sensibilis: tunc sic: omnis substantia est sensibilis: aliquis lapis est substantia: ergo aliquis lapis est sensibilis: quæ conclusio est contradictoria maioris iam concessæ. Et hæc de syllogismorum reductione ad impossibile sufficiant.

CAPVT VIII.

De syllogismo Expositorio, & Enthymemate.

Syllogismus expositorius est, cuius medium est terminus singularis. Vel vt alij volunt: est, qui ex propositionibus singularibus constat: & sic appellatur: quia rem exponere videtur sensibus per singularia, quæ sunt sensibus exposita: qui quidem syllogismus adeo perspicuus est: vt demonstratio sensibilis appellari soleat. Cum autem sit proprium rei singularis: quod alteri subijciatur, hic syllogismus proprie fit in tertia figura, in qua medium in vtraque præmissa subijciatur: licet etiam in alijs fieri possit. Vt in illo: quando aliquis negat propositionem particularem; de subiecto scilicet ceterum termino particulari affecto: vt negat quis conclusionem istius syllogismi tertiæ figuræ in Darapti: omnis homo est rationalis: omnis homo est sensibilis: ergo aliquod sensibile est rationale: illam sic probabis, & expones per syllogismum expositorium: Petrus est rationalis: & Petrus est sensibilis: ergo aliquod sensibile est rationale. Enthymema, quæ est vna species argumentationis, sic à Boetio (nostro Titelmano teste lib. 4. cap. 34) est argumentatio, in qua non omnibus præmissis ante positis, festinata inferitur conclusio: vt Petrus est homo: ergo Petrus est animal. Homo

Enthymema quid.

currit: ergo animal currit. Siquidem in prima deberet suppleri: omnis homo est animal pro maiori: & in secunda omnis homo est animal: pro minori. Vnde enthymema dicitur syllogismus imperfectus, vel truncatus: & Græce, Enthymema est, quod in mente, siue cogitatione, alterâ præmissarum occultat.

Aristoteles tamen sic Enthymema diffinit: Enthymema est syllogismus ex locutibus, & signis: id est: ex propositionibus probabilibus (icos Græce propositionem probabilem significat) constans: vt omnis mater diligit filium suum: ergo & hæc mater: & ex propositionibus de illatiuis alterius: siue in se sint probabiles: siue necessariae: (hoc enim significat signum in præfenti) vt mulier habet lacrimas: ergo coniuncta est viro: est homo: ergo animal: Verum est tamen: quod eadem propositio: quæ in quantum probabilis dicitur: icos dicitur signum; in quantum inferre necessario: vt omnis benefactor est diligendus: ergo hic benefactor est diligendus.

Nota tamen: quod Enthymema reducitur ad Syllogismum perfectum, per additionem præmissæ deficientis, quæ reductio potest fieri in omni figura, secundum dispositionem terminorum in Enthymemate: ad suppleendum autem oportet considerare: quod; quia medium conclusionem non intrat: pro medio in propositione supplenda non sumatur aliquis terminus in conclusione positus: sed solum sumetur terminus, qui solum est in antecedente, ex quo, & ex prædicato conclusionis fiet propositio supplenda. Exempli gratia: homo currit: ergo animal currit: sic reducitur, sumendo pro medio, ly, homo: omnis homo currit: homo est animal: ergo aliquod animal currit: in Darij in tertia figura: & talis reductio fit per additionem minoris.

Similiter: homo currit: ergo homo mouetur: sic reducitur: omne, quod currit, mouetur: homo currit: ergo homo mouetur: in Darij, in prima figura: vbi suppletur maior. Similiter istud: mulier est pallida: ergo peperit: sic reducitur: omnis mulier, quæ peperit, est pallida: hæc mulier est pallida: ergo hæc mulier peperit: in secunda figura.

Sed ad cognoscendum quando supplenda sit maior: & quando minor: ad reducendum; sit regula: quando subiectum antecedentis, & conclusionis sit idem terminus: tunc supplenda est maior: & quando prædicatum idem: minor: v.g. homo est rationalis: ergo animal est rationale: minor suppletur sic: homo est rationalis: omnis homo est animal: ergo aliquod animal est rationale: in tertia figura. Sed hic, Petrus est homo: ergo Petrus est animal: supplenda est maior sic: omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal.

Aliquando inueniuntur Enthymemata ex quatuor terminis: vt homo currit: ergo animal mouetur: & virtute sunt duo Enthymemata: & sic ad duos perfectos syllogismos reducenda: vt in exemplo posito sunt hæc: homo currit: ergo animal currit: animal currit: ergo animal mouetur. Primum reducitur ad tertiam figuram

Notas

Regula